



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Est ne uera regula, Peccatum no[n] remittitur, nisi ablatum restituat[ur]?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

aliquo affectus essem, ob hanc ipsam causam quia illa pecunia caruissem, ille quia dedit efficacem causam damni, debet soluere id quod interest. **I**sta est igitur ratio, & consentanea naturæ, cur soluendum sit id quod interest, quia nemo debet uelle locupletari cum damno alterius. **H**oc exemplum aliquo modo indicat quid uocetur interesse, & ubi locum habeat. **N**on enim debet prætexi rapacitati sceneratorum, qui mutuationem tantum in questum conferunt, nec petunt id quod interest, quia mutuo accipiens dedit efficacem causam damni, sed simpliciter petunt lucrū. **C**um autem magna sit uarietas contractuum, prudentia adhibenda est in iudicando, nec temere pronuntiandum est, & cum contractus sint res politice, ualet iudicium magistratus ac legum, id est, sapientis & æqui iurisconsulti de contractibus, sicut et de alijs rebus politicis. **H**ic sapiens iurisconsultus discernet usuras & id quod interest. **C**onferet etiam mandata diuina cum iure humano, ne approbet apertè pugnantia cum mandatis **D**ei.

## DE RESTITVTIONE.

**E**st ne uera regula, **P**eccatum nō remittitur, nisi ablatum restituat.

**R**espondeo,



**R**espondeo, Hęc regula uera est in genere de omnibus, qui scientes & uolentes alienum detinent, & habent unde reddant seu possunt reddere, sicut Paulus inquit, **Qui furatus est, deinceps non furetur.** At qui ille qui furatus est, tantisper est fur, dum alienum sciens ac uolens detinet, sicut is qui rapuit alienam coniugem, tantisper est raptor seu mœchus, dum eam retinet. Ergo cum Paulus uetat deinceps furari, uult alienum reddi, ut ille qui inuasit alienum, desinat esse fur. Hęc generalis regula tenenda est. Sed impossibilitas habet excusationem, & sunt uarij casus, in quibus adhibenda est *ὑπερβολή*, ut in aliquib. arcanis negotijs cauenda sunt scandala, & cauenda est infamia, quia fame iactura maior est quàm rerum iactura.

**Contrà.**

**Satisfactio est inutilis,**

**Restitutio est satisfactio,**

**Ergo restitutio est inutilis.**

**R**espondeo, Nego minorem, quia restitutio uerè & propriè est pars contritionis, non est illa canonica satisfactio, quam definiunt esse opera non mandata etc. **Exemplum,** Ut peccatum nō remittitur retinenti alienam coniugem, id ad contritionem pertinet. Ita rem alienam reddere, ad contritionem

contritionis



contritionem pertinet, quia contritio est paupor  
& dolor de peccato, & deinceps non committe  
re facta contra conscientiam & mandatum Dei.

An quæ tenentur præscrip  
tione, iuste tenentur?

**R**espondeo, iuste teneri res præscriptione,  
quia autoritate legis tenentur, quæ est ue  
rius domina rerum, quam priuati, sed ab  
sit dolus in præscriptione, & concurrant reli  
quæ circumstantiæ, de quibus leges præcipiunt,  
ut scilicet bono titulo rem nactus sis.

An rapta in bellis sint  
retinenda.

**R**espondeo, iusta bella gerentes fiunt uerè  
domini corporũ & rerum quas capiunt,  
ideo & corpora & res captas iuste te  
nent. Sunt autem iusta & legitima bella quæ su  
scipiuntur à legitimis potestatibus ad propulsan  
dam iniustã uim seu latrocinium. Est & alia spe  
cies iusta cum bellum à superiore potestate susci  
pitur ad puniendum manifestum scelus alicuius  
populi subditi, ut Israëlitæ mouerunt bellum ad  
puniendam tribum Beniamin, propter stupra  
tam Leuitæ coniugem. Nam Deus constituit ma  
gistras

*Iusta bella  
quæ.*